








colorchecker CLASSIC


+



x-rite

mm

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
(cm)



A. T. L. I.
Girardi
Rouilli
Mattei uis
Gambari
Ptolomei
Prolegomeni
Iuridica

3.

426

i
di
lli
use;
sar;
pu'i
men
dica

n° 272

XV^e Siècle. N° ~~272~~ - 726


La dernière pièce seule
est incunable.

Table des ouvrages contenus

Dans ce Recueil

- 1^o. Joannis de Spelli methodica dialectica ratio ad Juris prudentiam accomodata. pag. 1.
- 2^o. Caroli Girardus castilionensis de Juris voluntariis repurgandis. pag. 63.
- 3^o. Guillermi le Rouille et Alenconiensis justitiae et iuris scriptorum compendium. pag. 67.
- 4^o. Claudi Mallevali definitionum Civilium liber pag. 125.
- 5^o. Laurentii Claricini Gambari in iuris institutione propositio &c. pag. 145.
- 6^o. Iudicium expositio praemii institutionum Civilium qua primam Republice quasi formam expressit pag. 165.
- 7^o. Claudi Stolmoxi Senensis De corruptis verbis iuris Civilium dialogus. pag. 176.
- 8^o. Cabula abbreviatio arum pag. 190.






*2^e juillet
63*

CAROLVS
GIRARDVS CA-
STILIONEN
SIS,

De iuris uoluminibus re-
purgandis.



VIRTUTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

L V G D V N I A P V D S E B.
G R Y P H I V M,

M. D. XXXIII.


12





BIBLIOTHECA
CIVITATIS

1875



COMITE ROTSTADT

LAGDANI APUD ELE
GRAPHIA M
M.D.XXIIII.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

S T I L T O N E N
S I R G A R D A S C A

D e m i s h o l i v i n g s t e r
B u d s n i g e r

S C A R O I L A S

PRAESTANTISSIMO VIRO

NICOLAO DANGVIO ABBATI
IVLLIACO, CAROLVS
GIRARDVS

S.



O S T impensam aliquot annis iuri ope-
ram, uir ornatissime, cum per penderem in-
sumptis laboribus prouentum non respon-
dere (plus enim confusionis, quām solidæ
eruditionis mihi studio partum intellige-
bam) cœpi tacitus ipsum me colligere in-
certus plane ingenij ne mei tarditatem adcularem, an uero
miseram eius deplorarem infelicitatē. Nam in quem alium
meæ ignorantis causam impingerem oscitantiae adscri-
bere meritò non posse me uidebam; doctoribus item ad un-
guem formatis, & quos sedulò in omnium, nedum meam
experiebar deuotos utilitatem, quidquam imputare, nefas
existimabam. Cæterum probè tandem quibusq; penitula-
tis, persensi totius meæ calamitatis fontem, ab inulta scri-
pturientum hominum licentia dimanare. Id quod mecum
ubi meditatius reputavi, quoniam amplius atque amplius
serpit malum, quod uel à nemine animaduertitur, uel quod
ab omnibus animaduersum tacetur, uisum est in hanc rem
aliquid prodere, quo inuenta circumspectius si ad iura com-
poneret, & qui antea faxum hoc uoluissent incogitantius,
incautos adolescentes uiae commonerent potioris, denique
ut qui rerum potirentur, nocuam usque adeo hanc incom-
moditatem, amolirentur potentissime, celerrimeq;. Porro
tametsi istud nostrum quale quale nouimus haud idoneum,
quod tibi dicatum, publicum adciperet, nostræ tamen sim-
plicitatis trepidationem, animi tui synceritas, simulq; in o-
mneis propensa tua uicit facilitas. Consueuerunt quos fru-

a z c tus

ctus primum arbuscula promit, esse gratiores, unde fit, ut
sperem hanc ingeniolí nostri primam fœturam, gratia apud
te prorsus non fore destitutam. Vale, apud Bi-
turigas calend. Iunijjs M. D.

XXXIII.

63

CAROLVS GI-
RARDVS CASTILIONEN-
SIS, DE IVRIS VOLV-
MINIBVS REPVR-
GANDIS.

REV M quarūcunq; immēsus opifex, mundum hunc, quantus quātus est, mira oppleuit, illustravitq; uarietate, quæ uiuo considerata oculo, ut gratiæ plurimum spirat intuenti, sua uemq; admodum parit uoluptatem, ita dissertationem de ea, tametsi perfuctoriam, minimeq; operosam, plausibilem tamen fore, & iucundam existimau. Hinc uerò nos propterea lubentius auspicamur, quòd per uarietatem effectum sit, ut aliquid mente ipsi pridem conceperimus, quod diutius premere, tam nolumus, quām nec licet, nec possumus. De rerum ergo uarietate carptim uerba facturi, ut de non satis deprehensa supernorum orbium, deq; astrorum, & siderum illic adfixorum uariegatione taceamus, elementa, quæ inferioris mundi causæ sunt, si primū tu contempleris, ea inuicem pugnantissima comperies: Caliditatē enim quid perfectius, quām frigiditatem: humorī, quām siccitatē (quæ illis supremē insunt) opponas: iam ubi dissidentia, ibi & uarietatem esse perspicuum est. Deinde particulatim

illis inditam specta naturam. Terræ prodigiosum
onus, mirabili uidebis firmatum soliditate. Aquam
terræ sequacem, fluere, refluere. Aërem intelliges à
nobis non conspici, non audiri, eius tamen beneficio,
nos & uidere, & audire: eundem indeprehensum
hauriri, dein exhaustum, sine sensu itidem exhalari.
Ignis nos ardore quidem impetit, sed non nisi fumi-
gationis spissitudine obductus, inspicitur: qui sic ut-
cunq; uisus, nobis euestigiò disperit, subiectus in
auras. Rursus in his magna fese profert diuersitas:
alia sunt alijs destinata, nec in omnibus sunt omnia:
Pisces Ponto: Terræ (ut αμφίβια prætermittamus, &
reptilia) homines, quadrupedes, arbores, herbasq;
Aéri uolucres, diuinus artifex adiudicauit. Quòd si
hæc in genere data, tu sigillatim perscruteris, quis
tandem erit diuersitatum finis? Amplius sufflat mo-
do serena coeli temperies: modo solis rapidus desæ-
uit feruor, at modo frigoris horror urit acutus. Na-
scimur, adolemus, senescimus, morimur. In summa,
quoquò te uertas, omnia uarietatis plena experiere.
Porro inter tot figmentorum genera, tam mire discō
uenientia, unum est omnium præstantissimum ho-
mo, de quo non nihil, ac per transennam uelut, dicere
iuuat. Ille etenim est non solum à reliquis specie dis-
gregatus figmentis, sed & mentis illius, rerum auto-
ris, adornatus particula, unde oppidoquam multa
peragit, quæ & ipsa per amœnam in rebus gignunt
uarietatem. Vnde enim, si non hinc, tot, tamq; su-
perbas

perbas urbium structuras, in cœlum usque produc-
 tas arces, templorum, castrorum ingenteis suspici-
 mus moles: ⁷ huc adde tela, uasa, machinas, indumen-
 ta, & quæcunq; capit ampla supellex. Et hæc prima
 quæ de homine proficiscitur discriminatio, est copio-
 sa quidem, sed uulgatior, & quæ uariando nimium
 exiliter hominis exprimit sublimitatem. Alteram
 ergo priore illa conficit generosiorem, quæ primo
 enim statuimus loco, licet non sine præuia parentur
 ratione, à quibuslibet tamen quia contrectantur, &
 fiunt, consentaneum est, ut minori habeantur in pre-
 tio, quām quæ gradum occupant secundum, nimirū
 quæ meditatiore fiunt examine, deq; ingenio manat
 uiuaciore. Hoc albo continentur homines, ursi, leo-
 nes, musce, flosculi, opacæ syluæ, & id genus sexcen-
 ta, quæ eleganter usq; adeo aut depinguntur, aut inscul-
 puntur, ut hominū arte, & industria, naturæ opificiū
 superari, uel certè cum altero utrunc; non absurdè
 componi, tu sis incunctanter deieraturus. Denique
 præter hæc χερουγιματα, inter ea quæ ab homine
 eduntur, sunt quæ suo iure, supremum dignitatis
 sibi uendicant locum: ea sanè sunt, quæ non corpo-
 ris, & neruorum uiribus, sed ingenij sola conflantur
 acie, & perspicacitate primis duobus tanto excellen-
 tiora, quanto mens post se corpus relinquit intersti-
 tio, ut iure optimo hæc qui nouit cultiora dare, bea-
 tor, dotibusq; frui potioribus, inter uiros iudicetur.
 Hæ sunt artes, nequaquā manuum agilitate, & exer-

citamento producte, sed quas fœcundus comminisci
 tur animus, & depromit excogitatas. Inde quoq; ua-
 rietatis oritur permultum : quando illum loqui, di-
 sputare, dicere alium numerare, admitiri, concinere,
 retrusam stellarum etiam uim disquirere uideas, est
 qui præcipiat quæ ad mentis conducant syncerita-
 tem, aliis corpuscula quæ current, aliis deniq; homi-
 num negotijs quæ consulant. Ad hæc noua in eis
 panditur diuersitas, quum omnia illa quemadmo-
 dum non unam esse colligimus artem, ita non uno,
 & simili cernimus descripta idiomate. Ab Hebræo
 siquidem pars fluxit, partem dedit Graius, Rhoma-
 nus quoq; partem. Ohe, pertæsus uariationis, pro-
 clamas. Quis erit tandem tuae ποιησίας modus ? no-
 bis eam demum uarietatem demonstra qua te, ut scri-
 ptitares, adactum prædictisti. Nam si pergis adhuc
 rerum sectari discrimina, tatum abfuerit, ut nos ulla
 uarietatis delinias suavitate, ut graui etiam nos sis-
 oneraturus molestia, & intēpestiuitate. Desino : rem
 adcipe compositus. Sicut dum uariat natura, quan-
 docq; portentuosum aliquid egerit, ita & homo, cui
 ut uariet concessum uidimus, uariat nonnunquam,
 simulq; deuiat ineptissimè. Sed quia monstra natu-
 ræ, hominis non est reformare, ea idcirco missa facie-
 mus prolatis aliquot hominum monstros, quæ ut
 alij obliquè uariando ediderunt, ita alij pulchrè ui-
 cissim uariando, restituere possunt. Quoniam uero
 quæ de homine ducuntur figmenta, in triplicem di-

gesimus

gesimus ordinem, admonemus, suscep*ti* non esse
 nostri, primorum duorum, sed ultimi duntaxat ui-
 tia persequi, atque id non in uniuersum quidem, sed
 eam potissime partem, quae de hominū tractat com-
 mercijs, cætera tertiae huius classis, uix primoribus
 adtingentes labijs. Artes igitur omneis quae animo,
 non etiam corpore constant, excute, & actutum suas
 cuique esse, propriasque fatebere uoces. nam aliter me-
 dicum, aliter loqui comperies iurisconsultum: & que-
 musis nata sunt, aut metris exprimundis, supputa-
 tioni senties non perinde congruenter adaptari. Cu-
 ius rei causam facile adstruas, quod non ubique tra-
 ctentur eadem, ita enim si fieret, uerborum nos non
 adeo angeret dissimilitudo. Et ni usus, qui inter ea
 quae sunt est potentissimus, secus quamquam quondam
 receptum fuit, obtineret, proprietatiisque subinde refra-
 garetur, quæcunque sic aut sic semel iussa forent, &
 probata, immutabiliter eadem perseverarent. Ex his
 resultare nemo non uidet, adfirmatissime nobis pro-
 nuntiare non dubitandum, improuide nimis ac pre-
 posterè eum factitare, qui in artem, quæcunque illa
 sit, imparatè hoc est uocum, quibus ipsa constat, non
 perspecta significatione, se coniicit. Theologiæ, medi-
 cinæ, iurisprudentiæ uolumina ueras, quid est quod
 tu illic uenaris? sensum, opinor, ut eruas, qui te mo-
 destiorem, ualentiorem, æquioremque reddat. sen-
 sum uero te adsequiturum, uerbis non intellectis,
 speras? multo sanè promptius fuerit, quempiam le-

gere literis fastiditis. Iuris itaque consultos adparet
 fecisse consultissimè, qui posteaquam rebus homi-
 num componendis supramodum strenue insudaf-
 sent, suamq; iurisprudentiam in elegantes libros di-
 gessissent, ne quis ex abrupto in eius abdita penetra-
 ret, uerba ciuilis notæ imprimis uoluerunt studiosis-
 sime agnoscí. Vnde pleraque responfa, quæ de uer-
 borum legalium agerent significato, in hoc unum
 emiserunt. est enim iuxta deridiculum, & insanum,
 mentem legis peruidere conniti, uerbis, quibus lex
 ipsa contexitur, non perceptis, & auiculam adcisis
 pennis prouolare posse contendere. Primum igitur
 h̄c consideremus, quām insolenter ab ijs est uaria-
 tum, qui cum libellus qui de uerborum inscribitur
 significatione, nihil aliud sit, quām simplicissima iu-
 ris πρωται τέμνα, haud scio quo impellente Genio,
 post uniuersum Pandectarum ius duxerunt legen-
 dum. nam illos ita uoluisse, adposita libello planè ar-
 guunt eorum interpretamenta, quæ quidquid est
 antea scriptum, passim reuocant, tractantq; uberrimè.
 hoc pacto, si diuis non displicet, operi illi subte-
 xentia, Ius omne, inquiunt, personarum est, aut re-
 rum, aut actionum, uti supra in Digestis dictum est.
 & quoniam circa uerborum & rerum significationes
 multæ uertuntur difficultates, ideo hic titulus, illis
 qui de iure tractarunt, subiungitur. Bone Deus su-
 pinam compagem, & friuolam cohærentiam, non
 magis sapide profectò isthæc colligantur, atque si tu
 dicas,

dicas, legere quandoquidem probè scisti, superat ut
 literarum characteras, & earum nomina nosse incis-
 piás. Qui tam scite coniungere doces, audi obsecro
 te, qui, quæ sit uerborum proprietas, quo sensu uer-
 ba iureconsultis sonent, non degustauit, qua fronte
 se legibus percipiendis adcinget: quoties hærebit:
 respitabit: quoties adtonitus omnino etiam despe-
 rabit: & quæ de uerborum iuris scripta sunt signifi-
 catione, in finem reiectas scilicet, quæ è diuerso ei sunt
 in procinctu habenda, qui expedite progredi, & rem
 qua de agetur, minimo negotio intendit explorare.
 hæc prima sunt. nec est quod ea præcedat, si hîc com-
 modè leges liceat citare, infra, non supra, eas esse di-
 cendum. Dum quæ hîc dantur, sparsim in iure uide-
 bis obseruata, illic nihil erit horum repetitione opus.
 sin alibi tu aliter offendas, illic, non hîc exigenda ra-
 tio, diuersitatisq; mouenda quæstio. Iustinianus quū
 præstitueret quid primo, secundo, & sequentibus
 esset docendum annis, huius tractatuli lectionem sup-
 pressit. nempe adeo facilem ratus, ut seorsim, priua-
 toq; studio nemo esset iuris candidatus, qui eum mi-
 nimo non cōsequeretur negotio. atqui fermè omnes
 sic interpretantur, ut undecunque uocatis legibus,
 & canonibus, tum conspirantibus, tum dissidenti-
 bus, eum explicandum (si quidem hoc implicare non
 est, uerius quām explicare) existiment, quæstiones
 nodosas, & ad rem uerborum nihil quidquam per-
 tinentes intricatissimè moueant. Sciunt omnes Iusti-

nianum περὶ τίτλων, & per titulos summaria tantum
 permisisse alia legum commentaria in totum uetusse.
 nos uero aliud sequuti, non in legibus modo, sed
 & in legum uerbis fusè dilatatas interpretationes, ne
 cum illo peruerstiones uocitem, nimis incogitanter
 adposuimus. Memini quum me iuri primū adpli-
 caui, uirum non uulgariter doctum me consulere,
 operæne ego essem pretium facturus, si ab his uer-
 borum auspicarer rudimentis. qui confessim me à fa-
 ciendo deterruit, hæc enim citra doctorum commen-
 taria, non posse plenariè capi: quæ uero doctores scri-
 pserant in uerba, non tyronem, & iuris rudem, sed
 prouectum, atque propemodum consummatum le-
 ctorem desiderare, quamobrem longè satius me fa-
 cturum, si ab institutionibus inceptarem, ego difficil-
 lem me non præbui, consultori protinus obtempe-
 raui, minime tamen obtemperatus, si libelli huius
 rationem pernossem, sicuti nec ille ab instituto fuerat
 me reuocaturus (nam ita mihi postea ipse fallus est) si
 tractatum habuissimus commentarijs minus uerbo-
 sis declaratum. Insurgat forsan quis in me, ita: Tu'ne
 Iustiniano es prudentior, qui iuri operam daturum,
 primo anno iussit suas haurire institutiones: uideris
 enim sentiscere, etiam ante Institutiones uerba iuris
 offerenda. Ego, inquam, rectissimè Iustinianum præ-
 cepisse puto, nec quidquam esse contenderim, quod
 institutiones anteire debeat: non uidelicet Pandecta-
 rum, non ullum Codicis librum. Non est ergo, for-
 titer

titer adclamas, tractatus de uerborum significatione
ante institutiones pueris aperiendus, quem Iustinianus ipse inter Pandectarum libros adnumerat, quinquagesimo enim adscribit. Impostura est tale dictum
& deridicula aberratio. Dic nobis bona fide Iustiniane, de te cur ita factum? Ego, inquis, Pandectas consarcinabam, quo opere quidquid esset ueterum iuris prudentum, quod certè Reipub. legali conferret, uo-
lui conclusum, id quod haudquaquam fecissem, si quæ illi de uerborum significatu præceperūt, à Pandectis seiuinxissim. Age amplius: quòd ordine tra-
ctatum hunc postposueris, lectione quoq; ut postha-
beretur intellexisti? Minime, infis, gentium, sed an ne-
scis eos potentatu qui sunt spectabiles, si quò ostendati-
turos se prodeant, ad seclarum turbam post terga
trahere? magis enim illo incessu primo, eorum pate-
fit dignitas, haud alia ratione, ego Pandectarū opus
insigniter digestum, & comptum, ubi exhibere ui-
sum est, chorum ministratum uerborum à tergo con-
stitui: ne præfixus, ipse ostenderet tanti operis maiestatem. Quòd si rogando sciscitari institeris, sit' ne
huius famulitij pernoscendus genius, prius quam
quis se illi admoueat operi, respōderim. Si princeps,
cui forte adstabis, imperet ut ligamina solertissimè
uincta tu properāter dissoluas, cutem eius, quæ per-
urit, leni suffricaturus ad tactu, si tum exoluendi
ignoraris dexteritatem, & Principi tuo grauis, & tibi
inulus ipsi ut sis necessum est. Nam dum rusticus

impetu, quām arte magis rem tractabis, partē comp̄tioris ornatus lacerabis, partem inuersim conuolues propudosus, qui si seruuli tenuisses industriam, quam petitam prius quām adcederes fucras continuo habiturus, Principi amicus satisfecisses, diuexato tibi non displicuilles, deniqz pro posticis sannis, amarulentocqz risu, gratiam ab omnibus reportasses. Simile prorsus committunt, qui legum nodos, uerborum legalium significatibus non perspectis, & praeclarum illud iuris corpū stolidē adgrediuntur. Reuera interrogatus ita loqueretur Iustinianus. Sed ausim liberius aliquid proterre? Si ante institutionum libros (sic autem institutiones nomino, quasi inter eas uerba non habeantur) uerborum edidiceris significantiam, rem neque præposteram, neque inutilē peregeris, & quam, si de Triboniano ipso liceret exaudire, tu ne sis opportunē facturus, consilium ille tuum, si non ego plurimum fallor, neutiquam aspernaretur, sed ita potius ut faceres, enixē adhortaretur. Habent institutiones quod sit ligatum quod sensum ex alio ducat, & aliò tendat, hīc omnia deprehendens soluta, hīc uerbi unius excussa significatione, ad alias diuersi transilimus adceptionem. Non sum ignarus Institutiones eiusmodi esse, ut ubique ferē sui ipsarum sint interpretes, sed scio quoqz hic esse, quod in illis te non parum adiuuabit. Vident igitur quibus uel mica iudicij est, quæ de legum uerbis traduntur, post Pandectarum lectionē non esse adeunda

da, nec adita, morosis quæstionibus esse implicanda,
 primum uero atque simpliciter adolescentibus pro-
 ponenda, ut sic ad iuris sacra paulatim, ac Lari instar
 pelliciantur, animosius proculdubio, alacriusq; dis-
 quirent quæ sunt abstrusiora, quum perinde ac si in
 adsuetis semper sint uersati studijs, nonnihil ad iuris
 perpendent se promouisse cognitionem. Iam in regu-
 lis, quæ de iure sunt decerptæ, retexendis, quis in do-
 cendo, quis item in scribendo obseruatur modus?
 axiomata sunt hæc iuris, quæ non temerè uideas re-
 felli: proinde ea non aliter atque proprios unguis
 debet nouus iuris cultor habere explorata, hæc ipsa
 quoq; explanationis amant simplicitatem. At, ma-
 lūm, quis ferat illa grandia, καὶ ἀνομα νόμων glossema-
 ta, quibus indignissimè opprimuntur: succumbat
 oneri baiulus, uel robustissimus, & tamen audio qui
 illis etiam plurima deesse dicant. Væ uobis, uæ cano-
 nibus misellis, si hisce immodestis moderatoribus,
 & qui, quod aiunt, πάντων ἀνέμων, in iure, πάντας ὁρθύ-
 νσιν αἱλας, liceat, uti meditantur, uestris humeris
 pro sua libidine pondera superaddere noua. Quid
 adtinet autem, ut Institutiones quibus sunt acceptæ
 modis, effuso sermone referamus: non minore uiol-
 entia, quam à fabro ferrario ferrum committitur
 ferro, illic sunt scripta scriptis, & quæstiones cōnexæ
 quæstionibus. Est qui uelut de platea profectus, in
 alias subinde & alias ferri uidetur plateas. Sic aliud
 dictum aret, ut, quia succo destituitur omni, inani-

bus hoc illuc agitetur casibus continuisq; raptetur euagationibus. Illum inuenias qui quo modo mar- garitas porci, eodem propemodum ipse magnam in- stitutionum polluit portionem. Deniq; alias dum ad cursu ruit præcipitantiore, frequentius impingit, & grauius, & dum se cōtinere nequit, longius quam par est, sui impotens progreditur. Ecce uidemus quam stupidè, neque non pernitiosè homines uaria- runt, dum Iustiniani mente relicta, diuersissimum de eo quod sensit prudentissimè, sunt operati peruica- ciissimè. Sunt hæc multa quidem, sed non omnia. Pergamus ergo inconsultam uariandi cupiditatem demonstrare. Priscis illis senatoribus rectum nihil habebatur, nisi idem quoq; ordine esset dispositum. Vnde rem, cum absoluta quadam commendatione, gestam insinuantes, R E C T E, A T Q V E O R D I N E, efferebant. Cæterum malis intem- perijs mos irroborauit, ut sic dicā, inualuitq; nouus, per quem in loquendo, præcipiendo, & scribendo, nihil est probatum, quod alta confusione permixtū non sit, & inquinatum. Ita uero rem habere, paucis indicemus. Iuuentuti uulgo qui præficiuntur for- mandæ, si Terentij uersiculum, aut Vergilij suscep- rent declarandum, omnia cuiuscq; uocis significata, syllabatim de Cornu copiæ ducent, quæ puerulo in- culcantes, odioseq; dictantes, extēsam libri eius mar- ginem farciunt, ac refarciunt, haud secus quam si le- xicon illic sint adglobaturi, & ita suo pulchre functi

munere

munere, miserum auditorem, uel potius scriptorem,
 pregrandi notationum multitudine grauatum, dese-
 runt, comediam integrè, aut ex Aeneide librum
 unum, uix perpetuo biennio perlecturum. Non fuit
 hæc, non fuit ueteribus, instituendæ, uerius dixerim
 ludendæ, pubis ratio, qui orationis sensum uerbulo
 reserabant significantissimo, quod occultius uideba-
 tur, dilucide simul & breuiter enucleabant, cætera
 scitè supprimentes, ad rem quæ uidebant non perti-
 nere. Est non modice, & in Dialecticis uariatum.
 Quot lustris exerta lingua λεπθλεξιας, futilebus gry-
 phis, & planè furialibus rixis, inexplicabiliter se irre-
 tit, cerebellumq; distorquet Dialecticus? Candide
 Plato, dignè Aristoteles differere, & argumētari quâ-
 conueniat, exposuerunt. At ut uarium aliquid, &
 nouum proderemus ipsi, apinas nænijs nugosè ad-
 iecimus, quodq; fortiter nos amplecti expediebat,
 nequiter aspernati, reieciimus impudentissime. Sed
 hinc tandem deflectamus: nam scopus iura potissi-
 mum proponit. Agedum, quâm mirabili, imò mise-
 rabili inordinatione, nostra iurisprudentia fuerit di-
 scripta, & confusa contemplemur. Primum omnium
 præceptis legislatorum nihil ornatius, seriem deinde,
 quam in scribendo sunt sequuti, si spectes, diuinam
 adseuerabis, postremò, cum iurisconsultorū agmen
 uideas fuisse numerosum, attamen inter eos tantus
 elicitur concentus, ut non de multorum, sed unius de
 ore leges emissas ausis adfirmare, Heus boni interpre-

tes, uobis luditur, si est quod adferatis, nos, oro, non
celate. Quid uestra est uarietas, si non probrofa, &
omnino detrimentosa temeritas? Quæro benignè de
uobis, quid ille fragrantissimus orationis lepos, quid
blandula sermonis puritas tantum commeruit, ut
uos eius odium ~~acutissimi~~ caperetis? Ab hoc splen-
dore sic uos descuiisse constat, ut studio, operaq; de-
dita rusticitatem affectasse uideamini. Inter lauitias
uos usque adeo illatos uersari non sensistis? Si, iuxta
Græcorum dictum, $\pi\alpha\nu\tau\delta\ \alpha\nu\beta\delta\delta\ \epsilon\kappa\eta\pi\vartheta\delta\ \epsilon\sigma\delta\ \delta\pi\lambda\delta\delta$,
nec raram illorum uobis licuit adsequi uenustatem,
non erat certè idonea illa, quæ tetra contaminaretur
uestra barbarie. Repudiatis uocibus bene latinis, uos
nouas, & easdem auribus Rhomanis inauditas, con-
finxitis, ut decentissimè uestris de commentis Vergi
lianum dicatur,
Pro molli uiola, pro purpureo narcisso,
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.
De quorum Latinorum scriptis sclauam, bannum,
in quaterno habere, collectas & præstantias soluere,
in saldo ponere, & eius notæ bis mille dictiones, quin
potius dictionum monstra reportastis? Essent hæc
Africano obscurissima ænigmata, Papinianoq; triste
faceret negotiū. Quòd si exēplo uestro sacrosanctis
legibus quæcunq; quilibet inslerere cōniuenter per-
mittat, spretis interim ijs, quæ hactenus abusq; prin-
cipio Rhomani eloquij probatissimis fuerunt pro-
batissima autoribus, aliquis unus leges nostras enar-
raturus,

ratus, de intimis prodeat Scythiae finibus, qui,
 quoniam uerbum cum primis latinū ignorabit, uel
 tenebit quidem, sed uti detrectabit, in eius locum ne-
 scio quid Scythicum scribendo subrogabit. Si huius-
 scemodi interpretamētum Vlpiano ipsi proferatur,
 quæsierim, non illum erit diuinare necessum, si quod
 tali uerbo includitur, retegere uelit. Maximè uero.
 Sed ille idem Scytha latino utatur, & recepto, quid
 futurum est: certe ut Hispanus, Sarmata, Britannus,
 Hetruscus, Vasco, Christianus, Turca, & in uniuersi-
 sum quotquot latinè sciant, illico, primisq; oculis,
 sint percepturi, adeo latina dictio sui perdurat simili-
 lima. Enim uero quæ apud uos regnat ταξαχωδεστη,
 syntaxin aliquantulum expendamus. In primis au-
 tem ne aliquid prodigiosè tēsum adducamus, ueluti
 sunt quæ per prædicamenta insinuosè trahitis, qui,
 ut gannitis, notabiliter inuestigandi, id est, garriendi
 modus uobis est primarius, exempli gratia, demus è
 multis milibus quod erit compendiosè selectum, un-
 de nihilo secius quām eximios in enarrādo uos præ-
 stiteritis, non obscure deprehēdetur. Lex est: C V M
 TE MINOREM QVINQVE ET VI-
 GINTI ANNIS ESSE PROPONAS,
 ADIRE PRAESIDEM PROVINCIAE
 DEBES, ET DE EA AETATE PRO-
 BAR E. Agnoscis nitidam breuitatē: Iam audi phan-
 tasma, & uertiginosæ ceruicis insaniam. Ego, insit in-
 terpres, non recito formaliter quomodo ætas proba-

c: tur, sed

tur, sed super hoc nouam trado doctrinam. Quum
 quæritur à quo ætas probari debet, dic, aut adlega-
 tur ante actum adsequutum, aut post. Primo casu,
 aut ætas expressim, & principaliter deducitur in pe-
 titionem, aut tacite, incidenter & consequentiè. Pri-
 mo casu, petens debet probare. Secundo casu, aut in
 actu iudicario, aut extra. Primo casu, aut reus cita-
 tus opponit actori quod est minor, aut econtra reo
 comparenti opponit actor quod est minor. Secundo
 casu, tunc aut quæritur in beneficialibus, aut in istis
 officijs temporalibus. Et hoc de primo membro prin-
 cipali. Secundo uero casu, distingo quatuor mem-
 bra, aut ætas allegatur ad impediendum confirma-
 tionem actus iam concessi, uel facti, aut ætas, uel eius
 defectus allegatur ad impugnandum ipsum actum,
 aut ætas allegatur ad ipsum actum iustificandum,
 aut ætas allegatur ad actus iam iustificati finem de-
 monstrandum. Vides nouam doctrinam? Intelligis
 omnibus his membris, suas esse decisiones sua consi-
 lia, cautelas, ubique conspersa ingenti nebularum
 fartura? Quæ omnia turgidè coaugmentata, sunt in-
 terpretationis pars nō maxima ferrea sit aure, æqua-
 nimiter ista qui audierit, stipes habeatur, cui patienti,
 & immoto membratim talia deducantur, temporis
 deniqz minimum sit parcus, qui horas in huiusmodi
 tenebris collocare amarit. At hic tu quid nam facias?
 ita nunc sunt professores, ut quod in grammaticis
 insipidè fieri præmonstrauimus, amentius multo hic
 & da

& damnosius obseruetur religiosissimè. Ventum
siquidem eò est, ut inter iureconsultos censerí non
mereantur, qui leges legibus adsuere, & eas confer-
tissimo cumulo, siue ad rem, siue, ut dicitur, extra
cautionem, nesciunt conglomerare. Rogo te per
Astree numina, de eo quid statuas, qui duas uoculas
cum magno suo adparatu (ita enim loquebatur)
dum elucidare admittitur, dum quid secretioris do-
ctrinæ occultent, conatur indicare, dum latè dehi-
scens, suspensum auditorium præmonitione pelli-
cit adulatrice: dum ipsum disputationis conflictum
ingressus, reboatu, & terrifica detonat uociferatio-
ne, propositum pluteum pede, manu acriter subin-
de cædit, tam ferociter suos afflictat sp̄iritus, ut ube-
ri sudore de suggestu descendat liquefactus, interim
anhelitu ægrè auulso, delassatum se prædicans, to-
tum sesquimensem uiriliter absumpsit: Talia com-
mittere, cuius integrum est hoc tempore, quo nimi-
rum iuris est professor audaculus, qui quæ sunt pro-
tensisimè agitata, reddere nequit auctiora, qui pro-
nuntiato, cui iam à maioribus coaceruatæ triginta
fuerunt ampliationes, totidemq; exceptiones, quin-
quaginta nouem, aut ijs etiam maiora quedam, non
potest subtiliter excogitare: qui deniq; occasione ni-
hil pertinenti ubiq; adrepta, quibuscunq; de rebus,
ad rauim usque non nouit digladiari. Compertissi-
mum est, si quæ de dictiuncula, nisi, ut de similibus
aliquot taceamus, doctorum turba expuit, in unum

fuerint congesta, & uoluminibus con-
ficiundis, segetem suppeditabunt, materialē copio-
sam. Vnum ex eis aliquid mordicus tenere compe-
ries, alium eadem in re ex diametro reluctari senties,
& dum affectu, uelut hostili, mutua sese lacerant
morsificatione, dum item eos qui præcesserunt immu-
tari non sat est, & aduerso æquari scripto, nisi & pa-
ginarum, imò & librorum exuperentur multitudi-
ne, simulc̄ magnitudine, fit, ut pleræque leges non
unum habeant interpretem, & tutatorem, sed de il-
lis permulta, eademc̄ contraria, prostent uolumina.
Quod hic aliquo in loco fusè deduxit, ille alibi repe-
tit fusius, dein emergit tertius, qui utriusq; commen-
tarioris non ut h̄c, aut illic inuenit, recitat, uerum athy-
roglossia uincente, & hæc, & illa miscens, remiscens,
tortuosos struit mædros, syrmatac̄ fusissima. Pen-
sita ergo quot diebus, ne dicam, quot mensibus, lex
sic onusta, ab ijs pandetur, qui nihil prætermis-
sum ab se uolunt. Lubet narrare, quod alias mihi risum
largiter ciuit. Audiui eum, qui posteaquam per mul-
tos dies alias super alias quæsitasset rationes, funēc̄
nullum non mouisset, quo eam quæ omnium alio-
rum erat, subuerteret, tandem manibus datis, noua-
torem illum egregium huc sententiæ deuenisse. Non
omnium quæ à maioribus constituta sunt, ratio red-
di potest. Sunt hæ uariantum hominum nouæ ua-
rietates, nouis sanè & uarijs expiandæ supplicijs. Di-
catur, amâbo, quo de autore profectum existimabi-

mus

mus, quod non falso minus, quam ineptè dici consuevit, Eum scilicet qui primam iuri operam nauat, prolytam statim effici: altero anno, lytam: tertio, bacalaureum: quarto, tyronem: & sequenti, iuris prorsus ignarum? Quod ne quis iocularium putet, de eo ex audiui serio, qui doctoratu insignitus, annis erat onustior, quam hebdomadibus ipse sit annus. Par est itaque ut de illis manasse credamus, qui cum obesæ naris, & crassi, stupidiq; essent iudicij, in hæc mysteria præcipites, inculti, cerebroq; modicè sano prosilierunt, qui rem quæ seriem habet, atque ordinem pulcherrimum, inordinate, carptim, inuoluteq; tractarunt, qui quo plus distinxerunt, subdistinxerunt, hoc intricatus se implicuerunt, quibus non rarer uenit usu, leges in foro citare, quas non secus atq; in cauea graculus uerba funditans, intelligunt, qui in elegatiū hominum congressu, si de lege que uel insigni uetus tatis imagine conspicua sit, uel quæ quidpiam aliud ferat reconditus, quæstio suboriantur, disputatione in diuersum mutata, importuni de re blaterant extraria, aut certe si propositum inuertere non datur, demissa aure turpiter conticescunt. Eo quod iam dicturus sum, absit, eorum causas qui agunt, uniuersus tangatur senatus: sunt enim in hoc ordine, candore, morum synceritate, & multa eruditio ne uiiri per celebres, sed notius est quam ut negari possit, inter illos inueniri lauro succensa rabulas crepitantiores, fucos, rapaces, homines, imò uix homi-

nes, barbaros, à musis, & quibusq; gratijs semotissi-
 mos, litigiorum tantummodo prorogatores, & ca-
 uillatores dolosos, qui umbra, & specie iuris, quam
 præ se ferentes, & hoc nomine sese uenditantes, quo
 iure, quaç; iniuria questus faciūt amplissimos. Non
 est hæc audax, & flagitiosa uariatio, ubi ius iniuriæ
 causa prætexitur: ubi ius dirimendis natum litibus,
 nefanda his nebulonibus præbet litium fomenta.
 Cæterum ego facilimè crediderim, magnam eorum
 partem, in hanc adigi turpitudinem, quòd ita hoc
 est sinistrè, iura fuerit edocta. Quapropter an minus
 sceleratè eos arbitrabimur uiuere (quod enim ius
 prætergreditur, scelus est) qui eo sibi adblandiūtur,
 quod glossemata per se multo longiora, dilatando,
 & illis multos menses inhærendo, coronatorum na-
 eti sint emungendorum rationem: nihil dubio pro-
 cul hi quām fumos uendunt, & nebulas inanes di-
 gni, uel maximè, qui unā cum Thurino densissimo
 præfocentur fumo. Quod mea sententia nemo ne-
 gauerit, qui secum ita reputarit. Qui utruncq; ius in
 duo contraheret uolumina, quantum de Repub. me-
 ritum existimaremus: permultum sane, qui in unū
 amplius uero, at qui ipsum unum uolumē, ex aequo
 iuris commoditate discendi remanente, succinctum
 magis deinde redderet: huic indubie plurimum
 deberemus. Ex aduerso, eum qui ante omnes ius
 quām par esset longius protraxit, male meritū, qui
 postea etiam auxit cumulatius, peius & inuisius, de-
 dum

mum qui ut productissimum haberemus effecit, & sa
lebrosius, eum pessime fateamur meritum, ac nequis-
simè. Alterum sit oportet, iure sunt, uel iniuria sedan-
dæ lites, uerum cum tota hominis ætas prius defi-
ciat, quām quis ~~quæcunque~~ illa iuris (nam sic uel pro iu-
re, uel contra ius quæcunque scripta nuncupamus)
perlegat uolumina, si necessaria sunt, nec sine illis
possit quod iuris est deprehendi, qui legibus uolet
agere perceptis, Minoi sit adsestor & Rhadamanto,
apudq; eos quid secundum iura sit pronuntiandum
adseruet exprimendum. Nam dum uiuet, in euoluen-
dis libris, & iure discendo, satis totus occupabitur.
Dispiciat igitur obtestor, quibus mens fascinata non
est, quò perueraserit rabiosa uariandi cupiditas quan-
tum toti mundo corruptelæ inuexerit, dum ei licet
impune grassari, & an uesana altercantum doctorum
dissidia, non sint rixandi focunda materies, bonas
horas male locandi ansa parata, meliorisq; doctrinæ
pestis exitiosa. Si olim Iustinianus Papiniani, Vlpia-
ni, Pauli, Scæuolæ, Pomponij, Cajj, & aliorum eius
generis nobilium iurisprudentū, tot libros quæstio-
num, regularum, ad edictum, Institutionū, ad leges,
fusiam Caniniam, Iuliam Papiam, Duodecim tabula-
rum, & eiusmodi sexcentos, dictionis maiestate augu-
stos, sententiarum grauitate refertos, resecare, atque
adeo supprimere non dubitauit, ita se Reip. consulere
ratus, quòd copiosiores, & superfluitate adparerent
nimis prægnantes, quanto nunc iustius qui rerum

d potiun

potiuntur, ineffabilem illam doctorculorum cater-
 uam, de medio expunxerint, & quò digna est, able-
 gauerint: ut quæ non oratione placeat, ordine non
 adiuuet, nec quidquam explicatione conducat, sed
 tenebris obscurata, confusione distorta, spiritus ob-
 nubilet serenos, & à melioribus distractos, in scabra
 demergat, & putida. Mirum profectò quod ad id
 non animaduertamus, quod si facimus, cur non gra-
 uiter ex postulamus: præconijs professorum illecta-
 iuentus, credula subit animosè discrimina quæc,
 præcinunt illi superciliosè doctrinam se eructaturos
 mirabilem, subtilem, & quæ si tam fideliter excipia-
 tur, quàm gnauiter, & laboriosè ab se tradetur, ho-
 minem alioqui indoctum, possit *h̄is μέγιστον* ostendere
 iurisconsultum, & bis mendico, protinus myrmeciā
 suppeditare bonorum, cum mediussidius multo sint
 consonātius pollicitaturi, effecturos se ex quietis, &
 placidis, seditiosos, ex simplicibus, uafros, ex acutis,
 retusos, ex sanis denique amentatos, & stolidos.
 Quod uero ab *h̄is* non fiamus cautores, qui tandem
 ex hac palude enatarunt, non est cur magnopere mi-
 remur, quoniam enim inde rem cumularunt suam,
 uel in his exhausto corporis succu, sunt quondam
 emarcuisse uisi, ne leuitatis fiant, & inconstantiae rei,
 neu suæ sortis socios non habeant, longè à deprimen-
 do absunt, quod apertis ulnis prius sunt amplexi. At
 qui uixdum ingressi, Cimmeria hac inuoluuntur ca-
 ligine, cum palpantes uelut circūspectent, quâ erum-
 pant,

pant, & non inueniendo se sollicitent, disrumpantq;
quid eos ab exclamando prohibet: cur excusso gra-
ui hoc iugo, sensim se subducentes, sequenteis alios
ab ingrellu non profligant perstrenue: Aliquatuisper-
huc patres, si ulla quidem adhuc uobis liberoru: cura
superest, animum aduertite. Liberi uestri quo: hono-
rificentius ad culmina euehantur dignitatum, magi-
stratus in Rep. gerat officiosius, maiore apud omnes
autoritate possint, & gratia, denique quo: & sibi, &
suis sagacius imperitare sciant, & prospicere, quid
non molimini: Cui uix in lucem misi tu: commit-
tantur, indefessa queritis anxietate, poëtam & insti-
tutorem non recipitis, nisi qui morum integritate,
singularic: sit prædictus eruditione, pubertatis annos
in concinnando stilo, in assidua, & eadem terfa scri-
ptorum lectione, probè ut exerceant, uigilantissime
procuratis. Verè hic labor honestus est, & pio patre
nimis dignus, ad primè laudanda est hæc sedulitas;
nam subacta ritè argilla, promptius in quiduis fin-
gitur, & substructæ firmiter uases, amplioris machi-
næ pondus sustinent cōstantius, sed ad id quod præ-
sensistis, illa omnia primus sunt gradus. Pergitis er-
go, & sublimius ut promoueantur impigrè studetis.
Ex ternas regiones magno sumptu adeant præcipi-
tis, ad eos iura qui profitentur, ut diuertant, manda-
tis. Illinc ut summoru: magistratum, & πολιτεῖα res-
deant capaces, inde sinenter commonefacitis, crebri-
terq; adhortamini. Præterea, si quæ feliciter inchoa-

runt alacrius absoluant, quanti sint in Rep. futuri,
frequenter illis ob oculos ponitis, factum & hoc à
uobis perquam recte, nam quare potius quàm uiris
æquo & iusto adsuetis, regnum, urbes & fulciendæ
quis, quàm hi, alicunde imminens dispellat infortu-
nium prouidius: plebeios tumultus tranquillet mo-
deratus: lapsantem urbem consilio, & prudentia,
uelut rigidissimis tibicinibus, à ruina uendicabit pre-
sentius: & quæ iam floret erecta, potentem conser-
uabit, augebit & magnificenter. Sed ô calamitatem,
ô etiam atque etiam eius adolescentis deflendam for-
tem, qui læta indole, moribus & bene ornatus, quum
iuri animum adpellet, quanquam ei ad ridebunt iu-
risconsultorum scripta, utpote munditie splendida,
facili suavitate amabilia, exquisitissimis nixa rationi-
bus, ad eorum tamen quum declinabit interpretes,
offerent se continuò distenta, & multis, bene & longis
perticis maiora procemia, quæ dum lectitabit (si
modo id per patientiam poterit) huc, illuc impelle-
tur, ab Institutionibus ad Autentica, modo per Pan-
declarum, modo per Codicis uolumina, de cautelis
raptus, transportabitur in consilia, à sacris flectet ad
profana, ubique multa conspicabitur præuaricantia,
omnia agresti sermone uitiata, & ut semel dicam, iura
civilia nihil minus quàm iuste & ciuiliter adrepta:
Isthæc ubi is fuerit subodoratus, cuius palatum deli-
tij adsueuit, & munditiei, quid, putas, facturus est:
mirum ni odiosa iteratione ictus, prolixitate stupefa-
ctus,

77
29

ctus,confusione turbatus,scripti acerbi tædio offensus,mox resiliat indignabundus,& qui ducatu iuris, si ut oportebat traditum fuisse,præstantissimus Reipub.fuerat administrator futurus,mutato penitus instituto (ut ad deterius ea ætas est propensior) tripudij,santilationibus,sursum,deorsum disquisitionibus,in sphæristerijs & ganeis,ne peius addā,frequens,in summa nullis non uoluptatibus distans sum oblectabit animulum,& ita parentibus concessa spe delusis,pro cordato ciue,redibit chartarum,& alearum lusor inuincibilis mimus,& histrio gestulosus,& prorsus qualem cecinit uates:

νέος γερ', ορχυσθότε χαρούσιν τωνίστη πάρεσσε.

Quid doctoris industria,tota ne perierit? Nequam illa enim facultate,& in scribendo promptitudine,quam puer de eo quondam didicerit,sic uteatur,ut de ineptijs quas expertus fuerit,uel carmen faciat,uel concinnet orationem,quæ à typographis diligenter excusa,alios ad similitima inuitabit deliramenta.Hic mihi succurrat,quod est uerissimum,atq; exploratissimum,simile quiddam in adolescentum ingenij inueniri,& in generosioribus equis,hi enim quum adaquantur,si forte turbidum flumen offenserint,uix dignantur olfactu,sed repetito scalpture reddunt turbulentius,quo uno contenti,aliò feruntur præcipites,sitim scilicet suam tūc sedaturi,quum lympidioribus undis,& quæ suo adplaudent stoma cho occurserint,At enim quoniam nōn est omnibus

ingenium idem, nec omnes æquè formari contingit, si qui sint (ut esse, idq; ingenti numero, non ambi-
go) quibus non perinde festiuiter institui obuenerit, quoniam, uti proverbio dicitur, ὅμοιος ὁμοίω φίλοι, lo-
quituleius illis, & aridus doc̄ ornauseam non exci-
tabit, sed quæcunq; obiecerit, demittent auidè in sto-
machum, deq; eo tandem lucubrationum pertinaci-
tate, ne cito quid expiscabuntur, sed ut biberint, ita
spirabunt. Dicam quod non raro ijs adcidit, qui in
doctorum labyrinthis ætatem contriuerint, duos
bus eodem de negotio, sed diuerso tempore, sciscitan-
tibus, alteri ut respondeant quod ipse responsum
præoptauerat, alteri uero eandem personam susti-
nenti, penitus pronuntiēt diuersum, cui tantæ insta-
bilitati causam dat doctorum dissensus, nam ex il-
lius responsant sententia, quem meminerunt id, de
quo sunt rogati, pertractare. Vnde palam fit, illo-
rum ius nihil quām meram esse iniuriam.

Verum enim uero nunc mihi ualidè qui obstre-
pant, multos audire uideor. In primis antem, succi-
nit hoc pacto timidulus aliquis. Apage heus tu. De-
sine teneras auriculas mordaci radere uero. In his
quæ tantopere habes despicata, nescis quot homi-
num sint myriades, qui natī, educatiq;, sic illis adhæ-
rescunt, ut simul etiam periclitari certum sit: non
dubium ubi aduersus se, debacchatum usque adeo
te resciuerint, quin in te uicissim gladiatorio consur-
gant animo, inq; clamosas exeant tragœdias. Illis,
ego

ego sat scio, hæc quūm primum gustabuntur, erunt
amariora, cæterum disrumpantur, crepentq; inuidia
licet, ego quæ ex usu iuuentutis cognouero, profes-
ram impauide. Quod dicendo frugiferum est, malè
dici non potest. Malo omnium posthac consultum
utilitati loquendo, quām paucorum maleuolētiam
declinando, quod conductit meticuloſe, animoq;, ut
ita dicam, euirato subticere. Sentiat nonnihil com-
pendij de nobis Respub. & meo non sit ab inuidis
parcitum nomini, securus manum ego non uortes-
rim. Palpones ut mellita demulceant adulatione,
plurima ſæpe mentiuntur, idcirco eorum tum dicta,
tum scripta fixe non subsistunt, usuq; nonnūquam
uenit, ut quod iocosè effutuerunt, quoniam uanita-
te aspersum deprehenditur, seriam illis inurat mollis-
tiei notam, ueritati autem quod innititur & cōgruit,
expugnatu indubie facile non est, adeo ut sperem
fore, eos qui primis obtutibus me reum temeritatis
facient, rem perspectius ubi fuerint meditati, in meā
actutum sententiam descensuros, atque ira postquā
conquieuerit, pro infestis adcuſatoribus, à nobis sta-
tueros, patronosq; factum iri, & defensatores stre-
nuos. Mihi aliunde ita obſistatur. Glossarios, & iu-
ris quoſcunque interpretes, nihili homines fuſſe pu-
tas? sic conculcare, sic fastidire uideris, ut quam in
eos concepiſti indignationem, dum ſtomachosè euo-
mis, eò fortaffe adolescentiam inducas, ut ſibi per-
ſuadeat apud illos nihil frugis inueniri bonæ.

quid est quod asperius excandescentibile nos profus
 derimus, hoc mollitum percupimus temperamento.
 Bartolum, Baldum aliosq; huius farinæ quo scuncq;
 sua laude fraudari iniquum censemus, non enim me
 præterit, etiam huius nostri seculi clarissimos, & pri-
 mi nominis professores iuris, firmiter adstruxisse,
 sine illorum adminiculis ius consistere non posse.
 Non diffiteor illos pro sua uirili enixos, ut aliquid,
 quod è re omnium esset, emitterent. Ad hæc, me non
 fugit, legum celsitudinem speciosamq; earum elegan-
 tiam, non eo adeundam modo, quo apud Gellium
 Taurus dictitauit Platonem legendum à nonnullis
 postulari, uidelicet, non uitæ ornandæ, sed linguæ,
 orationisq; commendæ gratia, non ut modestiores fia-
 mus, sed lepidiores. Omnibus, ut reor, satis peruium
 est, quid me coegerit illorum eleuare autoritatem, uo-
 lo quoq; omnes intelligere, idq; palam testor, non
 leuius me egregios eorum conatus amare: temporis
 infelicitatem, in quam tot industrii uiri inciderunt,
 altis suspirijs deplorare, quām nostra tempora atro-
 citer incessere, quibus domini Dei indulgentiori be-
 nignitate, in nosq; ampliter propitio fauore, passim
 conspicimus homines uarijs linguarum idiomatis,
 quæ ad disciplinarū pertinent instaurationē, bellè di-
 tatos, ingenij acrimonia, & alacritate summa beatos,
 quālibet abstrusa subire, & exuperare iacentia, anti-
 quata & quasi oblitterata renouare, subrigere, & pri-
 stino suo nitori nitide restituere. Et nos ultroneè so-
 cordes,

cordes, & ignavi, perinde ac si dormientibus nobis,
quod ait Comicus, sit nostra negotia confecturus
D E V S, in rebus apertissimè detrimētosis, exoculati
uelut cæcutimus, aut torpentes, & grauiore ueterno
pressi, profundè stertimus, uituperio tam digni, & se-
uera obiurgatione, quām illi uenia, faciliq; excusatio-
ne. Agnoscant omnes, qui saltem se homines nosci-
tant, secundum diuinas iussiones, nihil homini reli-
giosius adseruandum quām legum sanctiones, &
quasi, penè dixerim, fabellæ sint ludionū, negligun-
tur. Malis moribus olim factum est, ut bonæ conde-
rentur leges, sed si bonas leges despiciunt habere per-
gamus, mali mores, malas introducant leges. Multi
abierunt anni, ex quo, seculum hoc nostro, quod ad
literas pertinet, non est uisum fortunatius. At ex ad-
uerso, mirum quo pacto homines uideas rerum im-
pensè necessariarum contemptores, uoluptiarum
alioqui obseruātores. Non est, dixeris, ab huius tem-
pestatis hominibus cessatum, in reponendis enim lite-
ris, quantum diligentiae, & laboris uides fuisse impen-
sum: In alijs, à iure, professionibus gnauiter sudatum
scio, quodq; est tentatum, cessisse non infeliciter, re-
mansit sola iuris disciplina, quæ suos adhuc efflagi-
tat adsertores. Scimus utique aliquot iam in hancce
rem caput exeruisse: unde nobis ingens futuræ illu-
strationis spes promittitur, sed & ipsi (quod tamen
bona eorum uenia dictum sit) nimis uerecundè alia
quædam minus tempestiue facere uidentur. Est enim

e qui

qui quod præstare se, & posse, & debere intelligit,
 adgredi tamen aperte non audet. Nam licet magnā
 eorum quę damnamus partem resecet, & ne pothac
 tot commentis sit opus, toto pectore inuigilet, pro-
 prius tamen (nisi latente quidem aliquo quidpiam
 adornet, moliaturq; consilio) ad maiorum adcedit
 prolixitatem, scribendiq; consuetudinem. Alius pre-
 terea dum amicos recenlet, neque nō æquales, dum
 animos eorum, & habitudinis dotes, dum genus, pa-
 triam, studium, & mores adnumerat, chartarum, &
 atramenti plus quam conueniat, prodigit. Denique
 alium inuenias, qui undecunq; quidquid est auto-
 rum legit (quod rectissimè eius fuerit qui adnotat,
 non qui ex professo ius explicat) & legibus quas tra-
 ctat, etiam si frequenter parum admodum ad eas spe-
 ctet, adiungit. Quod amici, & autores omnigeni tra-
 dunt, si necessarium, non respuendum, si minus,
 ipsum quamvis iucundum sit & gratum, à scopo ta-
 men quia sensim nos seducit, scienter prætereūdum.
 At plures si idem cecinerūt, eum tantummodo exas-
 citius rem qui tetigit, in medium proferre sufficiat,
 quādoquidem eduliorum, etiam delicatissimorum,
 satietatem adfert copia maior. Rursus impetor. Bar-
 tolem, ut inquis, & Baldum aliasq; amas, eorū per-
 quam extollis molimina, uolumina autē, nō usque-
 quaque. Quid ergo tot librorum plastris faciun-
 dum arbitrare; non uis, opinor, sulphurato concre-
 mentur incendio. Adrogantior uerè sim simul & fe-
 rocior

rocior, si tantum mihi tribuam, ut de uixdum in me
 cōmeritis, quidquam in exitium promam. Qui æta-
 te, diuturno rerum usu, & experimendo maiori, auto-
 ritateq; presunt, qui quod conduceat, quodq; minus,
 dijudicare aptius nouerunt, illorum hac in re, non
 meum, possit iudicium, præmoneo, obtestorq; eni-
 xiſſimè, uitio mihi ne uertatur, neu audaciæ insimu-
 ler liberioris, si quod mihi uidetur, bona fide retego,
 si in re perplexa, quid habeam animi commonstro;
 nam per hæc nostra, nihil alijs præscriptum intendi-
 mus. Quapropter & quod iam subiungo, beneuole
 omnes interpretabūtur. Bartolum, & quotquot eius
 ordinis sunt, exāmussatim discuti percipiā, in eis
 compertum, quod iura declarēt, extendat, aut quo-
 modocunq; adiuuet (inter ea siquidem quæ impro-
 bamus, permulta huiusmodi subesse indubitāter cre-
 dimus) legibus aduerti, sed id nequaquam uerboſe,
 breuitate uero, quām fieri commode poterit arctissi-
 ma, quæ pluribus adaptantur locis, uerbulo in me-
 moriam reuocari, & quò pertineant ostendi, illucq;
 remitti, ubi laxius adtingātur, nullius interim erroris
 adfricata mentione, quod de Bartolo foret excerptū,
 Bartolo adscribi: quod de Baldo, Baldo itidem adce-
 ptum ferri. De morosis illis inculcationibus, amplio-
 ribus ampliationibus, restrictionibus minimè restri-
 ctis, de omnibus comprehēsim illis inordinatissimis,
 quid definiti oporteat, eos statuere, quoru de manu,
 rerum summa pendet, ut scilicet, uel reponerent non

abolenda, uel, si periculum foret, ne cui olim intertri-
 mento essent, funditus extirparent. Hic mihi festinan-
 ter occinitur, uerbaq; truncantur in ore, funditus ex-
 tirparent, audes effutire: non prædурum, atq; plus
 quam iniurium autumas, tot, tantosq; labores, suo
 autori frustra exantlatos: non'ne operosa illa uolu-
 minum moles, argumento est euidentissimo, eos in
 campo iuris robustissimè decertasse: Certe quidem
 multa, & grauia perpeſſos minus coacte fateor, du-
 ctos studij amore, nulla neque ualetudinis, necq; pri-
 uatæ rei habita consideratione, irrequietè diurnis la-
 boribus compegisse nocturnos, atque haud alia ra-
 tione, quām laborum improbitate, adfectuq; obſti-
 natissimo, tantum promouisse. Idcirco de ea, quam
 meruerunt, laude, nihil quidquam nobis instigatoris
 bus decurabitur, ipsa uero potius cumulatissimè au-
 gebitur. Nam si uti à nobis prædictum est, aut melius
 etiam fiat, uti speramus, & ardenter optamus, inge-
 niosi, & succulentí scripti modicitas, plus Bartolo cæ-
 terisq; adferet gloriæ, atque ornamenti, quām si
 πολυκαγλη̄ scripturæ ualitatem, sic, ut nunc est, omit-
 tas permixtam. Quæ adpositè dixerunt, & subtiliter,
 per ea quæ inconcinnè subduntur, uilissimè sorde-
 scunt. Quæ seorsim posita, signatissimè iudicabis
 prolata: promiscua si maneant, bonam inuolutæ di-
 gnitatis partem deperdent, hoc certò scitur, Qui fa-
 piunt, multis lapidum, & saxorum turgentibus cu-
 mulis, gemmulam anteponūt. Enim uero posterioribus
 à quop

à quopiam excogitatis, consingamus omnem Pauli
Castrensis doctrinam omnino supprimendam, &
illum, tale quiddam fieri, corām prospectare, an ea-
propter ingemiscet pueriliter: adlachrymabitur de-
sipienter: & se suis castigatoribus infensum præbe-
bit obloquutorem: hæc haud dubiè si ille commit-
teret, tanquam stultulum homūcionem rideremus,
imò tanquam impium abominaremur, ut qui quod
sibi cœlestis munificentia denegasset, ipse alijs datum
inuideret. Non puto esse, qui tam insigniter hebe-
scat, ut speret scriptitando suum nomen iri perenni-
ter illustratum, non est scribendum, ut quandiu ho-
mines erunt, uiuamus, sed uiuendum, ut, si à superis
quidem concedetur, quod in perpetuum homini-
bus prospicit, scribamus. Et hoc ipsum officiose licet
moliamur, sæpiculè tamen fallimur, oneri nonnun-
quam defatigati succumbimus, nobis huic uehemen-
tiori affectione, illinc operatione adceleratori, hallu-
cinationis causam sæpen numero subministrante aliū-
de rerum humanarum instabilitate nihil nobis pro-
prium esse sinente, & ut homines formā disseparan-
tur, ita cogitatibus & commentis nullus est alijs simi-
lis. Si quod patramus, desiderabiliter suo tempore
uigeat, est cur modestè gaudeamus, at post suum
tempus, dum recentioribus, ijs' que melioribus ce-
det, si uistabimur, nos impotentiore animo esse pate-
faciemus. Nostra, quod proba nobis uideantur, &
commoda, concupiscimus adceptari: par est igitur,

ut & aliorum quæ sunt commodiora , totis uiribus,
 ut receptentur, contendamus, plurimum etiam illis
 congratulantes, bonumq; imprecantes, qui Reipub.
 nobiscum bene uolunt. Quòd si indignius haberis
 doctores credunt, quod de suo aliquid amputatum
 rejicitur, saltem parumper tranquillentur, dum non
 nulla etiam ueterum iurisconsultorum, & imperato-
 rum seponi agnoscent, nam ita fieri oportebit , ubi
 expunctis quæ in desuetudinē abierunt, quæ nunc
 in usu apud homines sunt, in illorum subrogabūtur
 locum. Denicq; quis hunc in modum quasi me iugu-
 latus adgrediatur, laqueumq; mihi tendat ineui-
 tabilem. Malum, inquiens, bene sopitum incautius
 mouisti, aculeum strictim infixisti, iam aufugere ne
 mediteris. Tu scripturientum audaciam tetricè coar-
 guisti, coercendamq; sensisti, quæ sunt edita, incidi
 ut reddantur morosiusculè suades, portionem eam
 quæ liquido frugifera uidebitur, uis adseruari, de re-
 liquis uero, quod Reip. primoribus iudicabitur, con-
 stitui. Tu ita sentito. Ego symbolo innixus, tutusq;
 Pythagorico, extra publicam uiam non prius defle-
 ctam, quam tu eum corā proposueris, qui quod fa-
 ciundum superstitionē es arbitratus, mihi facturum se
 pollicitetur, & pollicitationem condigne qui queat
 præstare. Perstringit admodum, urgetq; non tenui-
 ter hæc inuasio, nec quā procliuiter elabar, suffugiū
 patet. Primum si opus contemplemur suscipiēdum,
 negotij plenum, & quod diuinum potius quam ho-
 minis

minis poscat ingenium , pronuntiabimus. Deinde homines cæco amore sui seductos, ab eo quò feruentius rapit affectus , in foedas creberrime , probrofasciæ ignorantiae notas prolabi comperiemus. Ad hoc congeneum hominibus , & insitum uidemus, ut quod diu quæritando comprehendenterunt, alijs consfestim non communicent. Sed reconditè quantum possunt, apud se occulant, donec uidelicet rumigoratione plena perspectum sit, huiusmodi inuentum, ab se unis demanasse , qui si doctos consultarent amiculos, & suum illis consilium , remiqz totam exponerent, nonnulla, prius quam publicum adciperent, expungerent, pleraque non prætermitterent, partem traducerent, pauca retractarent. Postremum quod ab inueterata sententia alienum ingeritur, etiam si ueritati consonantissimum, etiam si purissimum, & numeris omnibus absolutissimum, fidei nihilosecius est imminutæ, ab ihsqz regeritur, qui se quoqz iudicio non destitutos opinantur , ita enim solent obiectare : huic sic est uisum, at ego quid ille senserit, nihil moror. Ille non dubitauit hoc adseuerantius confirmare, sed quid ad me? & mihi mens est, placetqz sensus. Ad hanc rem , subrisi quandoqz mecum (tametsi eius generis res erat, ut risu non esset excipienda) subrisi inquam, quod cum de more euennisset, ut quæ in orbem redit explicandorum iuris uoluminum ratio , unum ex illis enarrandum professoribus offerret , cuius aliquot tractatus , uir nos

stra ætate iurisconsultissimus fuerat ante quadriennium, plus minus, interpretatus, peruenustis etiam adtextis commentarijs, unus tum ex professoribus se præter decorum, nec rem ullo modo dignam facturum iactitabat, si de quo uir ille prudentissimus disputatione ipse exponendum adsumeret. Ecce ut uarietate capimur, illis commentarijs nihil erat magis nouum, sed huic semel uisa, iam antiqua erant, quare ad aliud confugiens, quæsiuit ubi & sibi liberior, latiorq; pateret uariandi campus. Alius è diuerso futuras prælectiones ab uno illorum tractatum incepturnus, uel hoc potissimè eum celebrabat nomine, quod quæ docturus esset, acutissimum, eundemq; eloquentissimum omnium, qui tum essent, iureconsultorum, glossis decorare non pœnituisse, illum hanc partem ideo lubentius exposuisse, & interpretatione noua ditasse, quòd implicatissimis quæstionibus, iurisq; scateret apicibus. Verum iuuat' ne audire quò simul magnifica iurisconsulti prædicatio, simul difficilimæ rei tenderet commemratio: Qui bellicosum uirum, & armorum, uirtute nulli secundum, depingere parant artificiosè, ante omnia aduersarium illi opponunt, quem robore firmant stupendum, dexteritate formidabilem, uix, impetum ubi faciat, solidæ aciei sustinendum, quod alias memorabile edidit facinus, fusè auctum, & ampliter referunt dotatum. Sed hæc omnia quorsum tandem: fiunt reuera, ut eius uis, qui hostem debellauit adeo terrificum

ficum, & bellacem, mirabilior adpareat, & commen-
dator. Certè prorsus simile hic noster prætendebat
orator, quod res ipsa postmodū planè indicauit. Via
enim docendi, quam laudatissimus iurisconsultus
præstruxerat, remotissimè missa, nouam demonstra-
re, quam illam persequi maluit, sibi unicè placēs, ma-
ximeq; suo satisfaciens animo, quum quæ ille dixerat
immotè firmata, hic prosterneret, ut debilia. I ergo
nunc, inquies, & doctorum sensa, alicui, quantumli-
bet eruditio, ut repurgentur, admone committenda,
emergent, certissimum est, qui aliter quām emēdator
adcipiant, castigatorisq; fiant uicissim castigatores,
ut congruētissimè, si usquam alibi, hīc locum habeat
quod de recisis hydræ capitibus subinde pullulantib;
bus proditum est. Nam dum unum Bartolum rese-
care uoles, qui nihilominus incorruptus, nullacq; ex
parte persistet mutilatus, duos amplius fuscitabis,
eius nempe contractorem, eius item defensatorem,
utroque, hoc est & Bartolo, & eius excussore produ-
ctiorem. Rei huius perficiundæ, nulla utiq; spes mihi
esset relicta, si in Rep. cuiuis liceret, quod in stramen-
tis muribus licet, nimirum si qui præcesset, qui impe-
raret, qui prohiberet, qui efficeret ut aliquid incon-
cussè obseruaretur, non haberetur si temporis præpe-
diret malignitas, si à quibus id præstari queat, essent
de Antipodibus adcerendi. Atqui & paulo ante di-
ximus, & nemo non uidet, etiam si taceatur, quātum
ubique feracissimorum ingeniorum sit hoc seculum

f ferax,

ferax, homines inuenias lectione multa exercitos,
 quibus pleraq; omnia antiquissimorum autorum
 cuiusluis generis quæsita sint, & euigilata, quibus
 oratio rotunda, & numerorum modulis uenusta, iu-
 dicio excusso, indefatigabili diligentia, genuina æqui-
 tate præditos, qui diuturno rerum experimento, pru-
 dentiam sibi conciliarunt, non ludificationibus argu-
 torum, non uafrorum machinamentis, & technis
 obnoxiam. Quid & hoc uerbi emittere formidem?
 Si nullæ omnino leges, nullæ principum extarent
 sanctiones, hac tempestatis felicitate inuenirentur,
 qui suasu, & Principum fauore, leges ferrent opti-
 mas, & nostris annis conuenientissimas. Non desit
 modo Iustinianus, adsunt parati Tribonianus, Theo-
 phili, Dorothei, Constantij, Mennæ, qui suo nun-
 quam deerunt Iustiniano. Pulcherrimo itaque hoc
 in statu, qui rerum summam, non armata manu, non
 truculento iussu, & minaci, sed nutu simplici *avav̄t̄p̄*
p̄ȳt̄w̄ moderantur, ex ijs quos paulo ante recensui-
 mus, numerum qui satis erit, seligant, cui communi
 inter se ad sensu, iuri addere, ab eo detrahere, uel
 transferre sit plenè liberum. Vnus uir, ut habet pa-
 roemia, nullus uir, idcirco non uni tanta prouincia
 tutò concrederetur: ubi uerò plures adgregantur,
 quod hunc fugit, illi est in promptu, alius inchoat,
 alius quod est inchoatum limat, & promouet, qui
 sequuntur alij, absoluunt politissime. Hoc in nego-
 tio nec uelle, nec posse quidquam præscribere an-
 tea

tea dixi, sed si eo modo quem Princeps optimum
decreuerit, res deducatur, futurum propediem spe-
ro, ut cum Repub. sic agatur, tota temperabitur san-
ctitate, spinosæ de ea rixæ semel propellentur, uiris
adfatim cohonestabitur, non iuris modo, sed qua-
rumcunq; disciplinarum peritia conspicuis, ranci-
dus barbariei silebit nidor, passim uigebit dulcissi-
mus facundiæ nitor, iacente inscitia, ubique recta
erunt consilia, & si παιδία ήμέρες πνεῖ, exulante im-
probitate, nusquam nō regnabit probitas, hoc tem-
pore uita, etiam ea quæ est incolmitate permanen-
tiori probè longata, iurisprudentiæ libris percurren-
dis, nedum ediscendis, uix sufficit; uerum si quod
peroptamus obtingat, præter ius exactè perspe-
ctum, nihil superabit, quod industrius, & laboris
amans homo non peruestiget. Idem erit cum iuris-
consultis iurisconsultus, cum medicis medicus, cum
theologis theologus, huc ergo mecum aduertite iu-
uenesç senesç. Iustum dolorem nostrum queri-
bundè una testemur, & in eorum coniçiamus si-
num, qui tanto huic malo præsenti possunt mederi
pharmaco, non de nihilo est nostra expostulatio, fa-
uorem meretur ultroneum, suffragiumq; non posci-
tum pacatorem, ut auguror, nanciscetur benignum.
Porrò prius quam ad umbilicum nostra perueniat
oratio, hoc adiçiamus. Quos prouidentia ad sum-
mos euehit magistratus, dignatumq; fastigia, fer-
mè uideas magnanimos adtentare, quod alius au-

deat nemo, urbes condere spatioſas, conditas inuadere diripiendas, ſumptuosa caſtra fossis aggeribus, ponte, muro, eminentibusq; turribus præmunire, fusilibus machinis, ſcorpionibus, & balistis undecimq; conſertim instruere, fulgenti auro uestibula obducere, transparenti uitro, gradu ſcansili, ſaliens teq; fonticulo, ad uoluptatem nonnulla, cætera ad ostentationem curioſe, elaborateq; perſequi, deſtina-
to demum ingenti præmio *κατατελαφετημ* operi præ-
ſicere. Quæ iſthæc quò tandem? An non ut memo-
ria conditoris uita functi commendetur posteritat? Quando nos de uarietate agimus, bene habebit, si illis uariam, nouamq; conſeruandi nominis ratio-
nem adtulerimus. Quod uehementer adeò expeti-
mus quanto quibuscunq; ſtructuris ſit perſeuera-
tius, quamq; neceſſarium magis, uiri principes ſe-
cum reputent. Et ut silentio premamus, quām non ſine multorum iniuria, detrimentoq;, quām nō ſine periculo, quod plurimum in autoris caput retor-
quetur, illa ſæpe luſcipiantur, ſic rem perpendant. Sublimia caſtra Principes ſibi uuis, aut ſanequām paucis conſtruunt, hæc quæ concupiſcimus, ſibi, ſuisq; architectabuntur omnibus. Dictum uero ſa-
pientiſſime eſt, Diuinius eſſe bonum, quod commu-
nius. Inſuper, illa ſic ſunt in caſibus exposita, ut tot ſumptus, tot labores exhaustos, deſideratā effictim nominis perpetuitatem, diecula, uel horula etiam ab-
forbeat, ſeu hostium oppugnatione, ſeu incendio,
quod

quod epotus concitarit seruulus, seu chasmate, aut
ruina etiam id contingat spontanea. Prodeat autem
Princeps, qui iuri, sacrisq; legum sanctionibus, quæ
pessum ierunt, adiutrices porrigat manus. Instaura-
tionem illam non dies, non annus, non ferox hostiū
abripiet incursus : florebit erecta, mundus dum du-
rabit, eo interea, cuius ope & beneficio regnabunt,
amissumq; nitorem recuperarunt, non aliter prope-
modum, ac si plenè superstes esset, apud omneis mi-
rabiliter regnante. Sed demus huiusmodi castra im-
pensis plena, multis seculis stare intemerata, cui uero
usui esse uidetur, qui illis præficitur, mercede tutus
tam locuplete. Scloppos, responderis, adseruat rubi-
ginosos, ranulas feruente æstu securus auscultat coa-
xantes, & otiosæ domus, otiosus cessator, & inutilis
custos, ad satietatem feriatus, humili procumbit grami-
nosæ. Isthæc scilicet Principi magnam gignunt cele-
britatem, suumq; nomen tollunt honorificè. At è re-
gione, à Principe iuris designentur censores, in quem
parabūtur usum: Paucis annis, præmio non iniquo,
noctes & dies in publicam laudabiliter intenti com-
moditatem, opus fingent immortale. Principiæ sub
quo merebunt, parient immortalitatē. Ne uero qui
antè prolixitatis alios arcelsiuimus, hoc nomine ipsi
postulemur, satis superq; dictum fuerit de uariatione
quæ de natura, quæq; de homine proficiscitur, quan-
tum uariando, simulq; aberrando homines homini-
bus negotium fecerint, dispendiumq; adtulerint non


mediocre, denique rursum si uarietur, quam nulli non
 sit profutura uariatio, quod postremum ni faciamus,
 cum qui alijs quondam fecit uariandi potestatem,
 eandem quoque nobis non abnegauerit, sed be-
 nignius, largiusque indulserit, idonei simus,
 qui subsidium detrectamus uolentes, in
 discrimine pereamus ignominiosè; pa-
 riter enim peccat, & qui Pyraustæ
 in modum sibi ipsi interne-
 tionem adcerdit, & qui
 iuuamen alperna-
 tur obla-
 tum.


GLORIA DEO.














A
G
R
M
C
D
P
I



